Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 859
Quelle:
Copyright:

dem: *Reuerendissimo* &c. *Inter sacra missarum sollempnia ex hijs que diebus certis* &c. Sequitur Elenchus *Homiliarum*, et ipsae, non tamen in libros II. divisae. Initium primae Dom. 2. Adv. habitae ad Populum in Basilica beati *Petri* est: *Dominus ac redemptor noster fratres karissimi paratos nos invenire desiderans* &c. Finis ultimae habitae in sancti *Laurentii* Basilica: *per se in vestris mentibus loquatur. Qui viuit* &c. Adscripta sunt XII. illa *Abusiva Seculi* hic *Gregorio*, alias *Augustino*, ut nobis *Vol.* I. P. 1. *col.* 720. item *Cypriano*, ut *col.* 584. et 829. tributa. Post quae: *Expliciunt quadraginta Omelie Gregorij Pape Sanctissimi per Seyfridum Schonpekch Anno* (13)92. *in die Vigilij Episcopi Martirisque gloriosi.* Extant edit. *Maur. Paris.* 1705. T. I. *col.* 1434. f. Exemplar nostrum sat castigatum est.

II. *fol.* 86. sequitur *Liber regule pastoralis beati Gregorij pape scriptus ad Johannem Episcopum.* Decurrit indivisus in *Partes*, praecedente *Capitum* XXIII. Syllabo ita, ut *Capita* XXII. *Partem* I. et II. efficiant, *Pars* vero III. sive *Caput* XXIII. *Quanta debeat esse diuersitas in arte predicacionis*; in XXXVI. *Modos* tribuatur; a verbis autem: *Hec sunt que presul animarum* &c. quae in Edit. *cit. Caput* XXXVI. auspicantur, nullae jam usque ad finem Rubricae compareant. Ceterum Opus integrum est, et incipit: *Pastoralis cure me pondera fugere* &c. ut Edit. *cit.* T. II. *col.* 1. Ad calcem iterum: *Explicit — Anno 92. feria 3ª ante Esto michi per Syfridum Schonpechk.*

III. *fol.* 128. p. 2. Discutiuntur e *Genesi* et I. *Reg.* Quaestiones Biblicae de Pythonissa *Saulis*, de Interpretatione Somniorum *Joseph* in *Aegypto*, de Juramento *Saulis*, de Spiritu ejus malo, de Duello *Davidis* cum *Golia*, et de Αυτοχειρια *Saulis.*

IV. *fol.* 134. *Incipit conpendium Super ewangelia.* Praemittuntur tamen scitu necessaria de Deo, Angelis, primo Homine, Arbore mala, Paradiso, Diluvio, Aetatibus, conditione Hominis, et Prophetis. Ad Christi nativitatem adferuntur etiam apocrypha illa *de Circulo solari, de Fonte olei, de Terre motu.* Ultima sunt de Resurrectione Mortuorum. Admonet Εγχειριδιον istud noti *Speculi humanae Salvationis.* Ejus initium est: *In principio principium sine principio et finis sine fine, deus cum quo viget filius ex corde proprio genitus ante secula* &c. Ad calcem: *Explicit in die felicis et adaucti Martirum gloriosorum. Anno* (13) LXXXXI°. Adjectae sunt Aerae ab origine mundi, atque inter eas: *Item ab origine mundi vsque dum primus homo qui vocabatur abraham venit ad austriam 2948. anni 9. mens. 12. die mensis Junij. Item a diluuio vsque ad ipsius primi hominis aduentum ad austriam 690. anni.* &c. Quae fabulosa, deinceps a Scriptoribus propagata, ut discuti non merentur, ita Codicem in *Austria* scriptum indicant.

V.